



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

244. Quanta requiratur scientia ad beneficium simplex.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)



*eleasticum eligi, vel etiam quocumque alio modo promoveri possit?*

**R**espondeo: necessaria est tanta scientia, & rerum agendarum notitia, quanta requiritur ad prudenter exequendum officium, ad quod quis promoveretur, D. Thom. in *addit. ad 3. p. 9. 36. a. 2.* Abb. in *c. cum in cunctis. de elect. & alii ibid.* Peyr. *loc. cit. q. 2. c. 2. nu. 11.* citans Menoch. Gonet. Paris. &c. ita ut tam eligentes carentem hanc scientiam, quam ipse Electus conscius hujus sui defectus: consentiendo electioni peccent mortaliter. Suar. *de cens. d. 51. f. 1.* Garc. *de benef. p. 7. c. 7. n. 25.* Miran. in *manual. Pralator. regul. tom. 2. q. 4. a. 2.* Porro censetur hanc requisita Scientia sufficiens adhuc, dum Pralatus novit prudenter uti Vicariorum & ministrorum opera & auxilio in adimplendo munere suo, valeatque aliquo modo de eorum auxiliis judicare. Pass. *cit. c. 25. n. 18.*

*Questio 243. Quanta scientia requiratur jure Ecclesiastico universaliter pro omni beneficio Ecclesiastico?*

**R**espondeo: tanta, quanta requiritur ad primam tonsuram hoc est ut sciat rudimenta fidei, dein legere & scribere Trid. *sess. 23. c. 4. Less. de just. l. 2. c. 34. n. 129.* Sigism. de Bon. *de Elect. dub. 60. n. 6.* Garc. & Pass. *loc. cit.* Porro loquendo de electione vel promotione ad officium sufficit, posse legere & scribere in isto idiomate, quod necessarium est ad exercitium istius officii. Loquendo autem de officio non importante exercitium alicujus Ordinis, sed merè jurisdictionis, & gubernationis, ut est officium Abbatissæ, Rectoris vel Superioris in ordine laicorum, opus non est scire latinè, nisi fortè specialia statuta id requirant. Sed neque id opus est respectivè ad officium importans exercitium Ordinis alicujus, ubi in ministeriis & functionibus Ecclesiasticis non est usus latinæ linguæ v. g. in Græcia, Armenia &c. secus est in Ecclesia latina. Pass. *n. 20. & seq.*

*Questio 244. Quanta requiratur scientia ad obviandum beneficium simplex?*

**R**espondeo: si non habet annexum Ordinem ullum vel servitium præter scientiam, quæ præcisè necessaria est ad primam tonsuram, requiritur aliqualis major notitia Sacramentorum, & aliqualis intelligentia linguæ latinæ (intellige respectu Ecclesiæ latinæ) ut aptus quis sit ad recitandum officium divinum, etsi non esset spes plus proficiendi. Castrop. *to. 2. t. 13. d. 4. p. 6. num. 9.* Garc. *loc. cit. n. 8.* Pass. *n. 40.* ait etiam Lott. *l. 2. q. 50. num. 14.* citans pro hoc *c. accepimus. de atar. & qualit. & sic decisum dicens: in una Amerina jurispr. 1. Julii 1616.* frustra objeci illiteraturam clericò primæ tonsuræ ab Episcopo ad beneficium simplex promotò, eò quòd defectus iste literaturæ in illo sit dispensabilis ab Episcopo. idque procedere, etiamsi non intelligat horas Canonicas, ad quarum recitationem tenetur, pro quo citat Nav. *de horis Can. c. 13. num. 11. & 12.* quòd ipsum tamen limitat Lott. *ibid. n. 49.* dum ait: quòd, cum recitatio vel psallinodia horarum non consistat solum in pronuntiatione vel cantu, sed etiã in intellectu literalium verborum, necesse esse, ut ad hoc habeat scientiam, etsi alias perfectè horas non intelligat.

2. Si verò habet annexum Ordinem sacrum,

requiritur major doctrina, majorisque scientiæ spes, & in specie scientiæ illa, quæ necessaria est ad Ordinem illum recipiendum Garc. *loc. cit. n. 11.* citans Hojed. Azor. Gon. Requiritque Trident. *sess. 23. c. 13.* ad Subdiaconatum, & Diaconatum, ut quis sit instructus in literis, & iis, quæ ad exercendum Ordinem pertinent, & c. 14. ad presbyteratum, ut quis idoneus sit ad docendum ea, quæ omnibus necessaria sunt ad salutem, & administranda Sacramenta. Quo decreto stante juxta Fagn. in *c. cum in cunctis.* jam promoveri nequeunt ad presbyteratum parum scientes, qui tamen sunt dociles & apti ad docendum, ut docuit Innoc. nequidem dispensativè, & ex magna causâ (ut Innoc. declarant Abb. & Host.) cum Episcopi in hoc decreto Concilii dispensare nequeant, ne quidem ex magna causâ. Porro dum de beneficio simplici quaritur, quòd simul & Ordinem, & administrationem annexam habet, adeoque scientiæ necessaria in promovendo ab Ordine, & administratione mensuram recipere debet, hoc faciendum est discrimen, ut quæ ad Ordinem spectat, exigatur actu, quæ verò ad administrationem, saltem requiritur aptitudine Lott. *loc. cit. n. 54.*

*Questio 245. Quæ scientia requiratur ad dignitates, & Canonicatus, non habentes jurisdictionem, aut curam animarum?*

**R**espondeo: requiri majorem quandam quam præcisè necessaria est ad Ordinem dignitati, vel Canonicatu annexum, eò quòd munus seu dignitas industriam deposcat, à Canonico in Capitulo dandum sit Consilium. Pass. *n. 39.* citans Menoch. *de arbit. c. 425. n. 25.* Abb. & c. Lott. *l. 2. q. 50. n. 52. & 53.* ubi etiam quòd major requiritur ideo scientia in Canonico Cathedrali quam Collegiata, & hinc in examine ad Canonicatus Cathedrales semper disquiri, num promovendus ultra grammaticam ulterius ita profecerit, ut suo consilio aliquando juvare possit Ecclesiam, ne ut dicebat Roderic. Zamorent. Episcopus in suo speculo *p. 2. c. 17.* contingat ad Capitulum duci oves & boves. Verum maturitas & capacitas dandi consilium non est de essentia Canonicatus, cum esse quis possit Canonicus absque eo, quòd vocem habeat in Capitulo.

*Questio 246. Quæ scientia requiratur ad beneficia curam animarum annexam habentia, maxime parochialia?*

**R**espondeo: requiri ut tales scientiam inter peccata distinguere, Evangelium declarare, Sacramentum ritè administrare Trid. *sess. 24. c. 18. de reform. Nav. in c. 1. de penit. & remiss.* adeoque major in iis requiritur scientia, quam in simplice sacerdote, utpote quæ consistit non in sola doctrina Evangelii populo rectè exponenda, sed & in distinguendo lepram à lepra, id est, peccatum à peccato Lott. *cit. n. 54.* citans Gonz. *Gl. 4. num. 72.* Staphil. *de Expect. forma. 6. nu. 2.* necesse tamen non est, ut de illis extemplò disserere possit, & turò respondere, sed sufficit ea esse instructum facultate, ut in libris sciat quærere, invenire & intelligere veritatem in hoc puncto necessariorum Lott. *n. 55. & 56.* citans Gonz. *Gl. 4. n. 82. & 83.* Innoc. in *c. cum in cunctis. n. 1.* Butrio *ibid. n. 10.* Abb. *n. 4.* Holt.